D. JO. BURCHARDI MENCKENII ... ORATIO SECULARIS, DE VIRIS ERUDITIS, QUI LIPSIAM SCRIPTIS ATQUE...

Johann Burkhard Mencke

D. JO. BURCHARDI MENCKENII,
S. REGIÆ MAJ. POLON. CONSILIARII ET HISTORIOGRAPHI, NEC NON HISTOR. PROF. PUBL. ET SOCIETATIS REGIÆ BRITANN. SOCII,

ORATIO SECULARIS,

DE

Viris Eruditis,

qui Lipsiam scriptis atque doctrina illustrem reddiderunt,

IN

ACADEMIA LIPSIENSI,

EX DECRETO

RECTORIS MAGNIFICI

ET

SENATUS ACADEMICI,

Die IV. Decembris A. M DCC IX.

IN IPSA

JUBILÆI ACADEMICI

CELEBRITATE,

PRÆSENTIBUS SPLENDIDISSIMIS

ATQUE EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS LEGATIS,

IN TEMPLO ACADEMICO

publice recitata.



LIPSIÆ, apud Jo. Frid. Gleditsch & Fil. M DCC X.



Potentissimi Regis Poloniarum atque Electoris Saxoniæ, ac
Serenissimi Principis Heredis, nec non
Serenissimorum, & Reverendissimi, Ducum, Saxo-VVeissenfelsensis & Cizensis, Academiæ Nutritiorum,
Splendidissimi Domini Legati,
Legati item Summe Reverendorum Capitulorum & Academiarum celeberrimarum, decenti honoris cultu venerandi,
Utriusque Reipublicæ Proceres gravissimi,
Tuque circumfusa Studiosorum lectissima concio.



Uotusquisque est vestrum, Auditores, qui cum nobilissimam hanc & per Europam universam celebratissimam urbem, hæc tecta, hos cives, contemplatur, singularem Divini Numinis bonitatem protinus non agnoscat, planeque sentiat atque admiretur? Absque enim Numine quis

fieri credat potuisse, ut hoc ipso in loco, qui nullo flumine portandis navibus apto irrigaretur, nec portu memorabili instructus esset, emporium hoc tam celebre tamque copiosum opibusque & mercibus affluentissimum suscitaretur. Quisquis autem Academiæ nostræ, quam jure optimo Germaniæ, quemadmodum ille Lugdunum Belgii, illustre miraculum dixeris, in qua jam a trecentis annis elegantiarum omnium sedes, literarum domicilium, Musarum ac Gratiarum augustissimum sacrarium fuit, quisquis inquam prima hujus Academiæ initia respiciat, facile intelliget, ea quæ tum facta sunt, nequaquam cœca quadam fortunæ sorte atque impetu, verum certissimo Dei T. O. M. consilio ita evenisse. Iniquissimo edicto (nostis enim, Auditores,) Pragensis Academiæ ordinem ac jura subruere Wenceslaus statuit, tumultuantur Doctores pariter & discipuli, discedunt non manipulatim, sed gregatim atque catervatim. Ecquis vero tot hominum millibus auctor fuit, ut postpositis florentissimis ea tempestate Germaniæ urbibus aliis, Lipsiam potissimum eligerent, in qua perinde ut apum examina considentes, quam ingressi antea erant, studiorum rationem prosequerentur & absolverent? Istudne sine Numine factum esse creditis, Auditores? Potentissimos nemo non vocaverit germanos Fratres, FRIDERICUM BELLICOSUM & WILHELMUM, prudentissimos etiam, atque iis virtutibus, quæ ad Rempublicam pulcre regendam, ornandam, amplificandam pertinent, instructissimos, at iidem tamen de excitando sapientiæ & bonæ mentis templo nunquam forte in animum induxerant;

cum

rum ſenſere divinum nutum, Muſasque e vicina Bohœmia exules & extorres, non modo non rejiciendas, verum etiam ultro adducendas invitandasque ſtatuerunt. Quemadmodum vero exordia fauſtiſſima dedit Academiæ ſupremus rerum arbiter atque moderator Deus, ita decus ejus felicitatemque per trium ſeculorum ſeriem ita extulit, ut, cum eruditiſſimis hominibus liberaliſſimisque ſtudiis continuo affluerent, nunquam non inter nobiliſſimas Germaniæ Academias præcipuo loco fuerit habita, totque paulatim ex illa prodierint Viri omni doctrinarum genere præſtantisſimi, ut, ſi quis ad exemplum Meurſii, vel Woodi, quibus Athenas Batavas & Oxonienſes debemus, Lipſienſes Athenas conſignare auſit, is ſubiturus ſit profecto laborem immenſum & humanis viribus longe ſuperiorem. Equidem illis fidem habere nequeo, qui multa millia ſtudioſorum juvenum e Pragenſi in Lipſienſem Academiam veniſſe jactitant; a probatisſimis tamen illius temporis ſcriptoribus * traditum invenio, centum poſt inaugurationem annis in publica & ſolenni pompa, quam ipſe Dux GEORGIUS ducebat, bis mille centum Magiſtros pariter juvenesque & in ſchola Thomana ſeptingentos pueros, qui optimis artibus ad humanitatem informarentur, fuiſſe numeratos. Quam felicitatem tantum non perpetuam nobis fuiſſe, nemo rerum noſtrarum non plane rudis inficiabitur: etſi enim tot ſubinde per Germaniam Academiæ propullulaverint, bel-

* v. Jo. Brotuffii *Chronicon Sax.* MS.

laque, pestem & clades alias cives nostri sæpe multumque fuerint perpessi, nunquam tamen Musæ prorsus has sedes destituere, nec desiderati sunt unquam Lipsiæ, qui cum ad docendum tum ad audiendum essent parati. Et habet hoc præcipuum prorsusque eximium Academia nostra, quod non modo tot Electorum Principumque munificentiæ plurimum debeat, sed quod etiam inter privatæ sortis homines, nostræque imprimis Reipublicæ cives, Evergetas numeret plurimos, quorum nunquam est moritura memoria; quo fit, ut adolescentes studiosi prope quingenti, quibus nihil aliunde opis præsidiive suppetit, publicis stipendiis alantur atque recreentur. Vestram testor fidem, optimi Juvenes, qui cum prope nudi &, quæ vestra calamitas, vix aliquot obolis instructi ad nos venistis, Mæcenates hic invenistis, a quibus & amictu victuque & rebus aliis, quæ ad vitam frugaliter ducendam pertinent, supra spem omnem atque exspectationem donati estis. Etiam hoc leve putatis, Auditores, intra unius seculi, quod proxime præteriit, spatium tot positas in publico triclinio mensas, quibus indigentiores bonarum artium alumni integro triennio gratis ac citra unius propemodum assis impendium sustentantur? Hoc leve putatis, a Rege, ab Academia, Senatu, Civibus denique ipsis haud modicas pecuniæ summas in studiosæ juventutis atque adeo ipsius Academiæ fructum atque utilitatem liberaliter quotannis erogari? Nolite enim existimare, quenquam in hac urbe tam insipidum insulsumque

ſumque reperiri, qui plurima commoda ex Academia quoque in omnis ſexus atque ætatis homines ipſamque Rempublicam noſtram univerſam uberrime redundare negaverit. Nam ut taceam, tot elegantisſimos nobilisſimosque juvenes, quibus lautior ſors obtigit, non ſpernendas facultates ex aliis Germaniæ oppidis celebrioribus ultro tributas huc conferre, id quod Principis in Saxonia Viri judicio confirmare poſſem, ſi tantum nomen in hac umbra producere fas eſſet: ut taceam porro, plurimos eorum, qui huc confluxere, ut doctrinæ morumque præcepta a nobis haurirent, eadem & in liberos veſtros, Cives, ſummo ſtudio traducere, iisdemque optima virtutis ſemina a pueris inſtillare: iſtud certe prætermittendum non eſt, quod tot pii parentes, quorum liberi apud nos literis incumbunt, bene nobis precantur, proque fortunis noſtris, pro flore atque incolumitate hujus Academiæ apud Deum immortalem asſidue diligenterque intercedunt. Hinc & decus & honos & lætisſima rerum omnium facies; nulli hic ſtrepitus, nulli tumultus, rara inter utrumque Senatum disſidia, pacata, tranquilla, exoptata omnia. Sed de Academia atque hujus potisſimum diei celebritate, qua ſplendidiorem auguſtioremque nunquam vel parentes noſtros, vel nos ipſos videre contigit, in hoc tanto gravisſimorum virorum ac literatisſimorum hominum concurſu, verba facere publicasque & ſolennes divino Numini gratias decernere juſſus ſum ab illis, quorum nutui voluntatique obſtrepere religioni

duxerim. Quamobrem etsi sim in eloquentiæ studio plane nullus, quippe ab ingenio aliisque virtutibus, quæ Oratorem reddere queant disertum, parum instructus, vestro tamen judicio obtemperandum video, Patres conscripti, qui id muneris mei rationem postulare censuistis, ut ad exemplum Viri doctissimi, JOANNIS FRIDERICHI, qui cum & ipse publice Historias explicaret, fata omnia & vicissitudines Academiæ inde a primis initiis luculenta oratione ante hos centum annos exponere jussus est, e superiorum temporum memoria quædam repeterem, quæ ad Academiæ nostræ gloriam augendam amplificandamq; plurimum pertinerent. Cum vero crambem bis coctam apponere longaque ac tædiosa oratione aures vestras offendere, Auditores, nolim, e tot eruditissimis Viris, quibus Lipsia inde a primis initiis coruscavit, paucos quosdam (quis enim omnes enumerare ausit?) producere in medium brevissimisque elogiis hoc tempore exornare constitui; qua re illud consecuturum me arbitror, ut non minus Juvenes Studiosi exempla habeant, quæ quasi in illustri posita imitentur & sequantur, quam ut alii tantorum nominum memoria jucundissime afficiantur. Id dum paro, ad vos me converto, Auditores omnium ordinum honoratissimi, utque de Viris maximis incompto sermone dicturum vestra benevolentia atque favore tueri ne detrectetis, auresque vestras per breve temporis spatium benigne mihi commodetis, submississimo animo decenterque rogo atque contendo.

Non-

Nondum suas sedes hoc in loco Musæ collocaverant, nondum stabilita firmis legibus & fundata erat Academia, cum DANTES ALIGHERIUS, Florentinus, bonarum artium & omnis eruditionis auctor atque instaurator illo tempore præcipuus, e patria exul Lipsiam accederet, luctuosamque DICEMANNI cædem elegantissimo carmine deploraret: cujus viri adventus prælusisse quodammodo videtur iis rebus, quæ centum post annis evenere, quo tempore tot Viri excellentissimi aliunde exciti in hanc urbem nostram magno literarum commodo confluxere. Ut itaque veniam ad eam ætatem, qua penitus consecrata fuit literis Philuræa nostra, non desunt etiam e vetustissimis, quorum memoriam conservari & ad posteros propagari fas est. Inter præcipuos ejus temporis Theologos memorant VINCENTIUM GRUNERUM, qui Fratribus Serenissimis, FRIDERICO & WILHELMO, auctor suasorque fuisse perhibetur, ut Academiam hoc in loco excitandam decernerent. JOANNIS vero HOFFMANNI, qui primus sacrarum literarum apud nos Professor extitit, in Misenensium postea Præsulatum evectus, ingens in Concilio Constantiensi nomen fuit; nec minus quondam celebris NICOLAUS WEIGELIUS, qui non sacras modo literas, verum & Jura divina & humana, ipsamque Philosophiam omnem, eleganter pro genio seculi explicavit, dignusque fuit habitus, qui & a Serenissimis Saxoniæ Ducibus & a Martisburgensi Præsule ipsaque Academia nostra ad Basileense

con-

concilium ablegaretur, ubi habitis longe gravissimis orationibus incredibilem sui admirationem apud omnes concitavit. Non memoro sequentis seculi Duumviros clarissimos, VICTORINUM STRIGELIUM, cui ut antea e Salana, quae ejus consiliis stabat, ita paulo post adventum suum e nostra quoque Academia, dubium num aliorum invidia, an sua culpa, emigrandum fuit, & JOANNEM PFEFFINGERUM, qui ut post GEORGII Ducis excessum purissimum Evangelii lumen inter Lipsienses nostros extolleret, nulli labori nullisque studiis aut vigiliis pepercit. De PETRO quoque MOSELLANO, qui GEORGII hujus jussu pia atque luculenta oratione praefatus est, antequam Lutherus hoc in loco cum Eccio pro vero sanctoque Dei cultu animosius congrederetur, & de CASPARO BOERNERO, qui circa eadem tempora Theologiam haud perfunctorie tractavit, rectius infra edisseram, ubi elegantiorum litterarum promotores praecipuos enarrare constitui. Celebrandus vero ante alios hoc loco est NICOLAUS SELNECCERUS, dignissimus Melanchthonis discipulus, quem *oculum Lipsiae acerrimumque doctrinae a Luthero instauratae adversus Calvinum & Bezam hyperaspisten* jure meritoque vocari, nemo inficiabitur. Nec forte praetereundus VINCENTIUS SCHMUCKIUS, de quo idem plane Henricus Hoepfnerus, quod de Nepotiano Hieronymus praedicabat, illum nempe assidua & diuturna lectione pectus suum bibliothecam Chri-

sti

sti fecisse: etsi enim esset in dicendo adstrictior, nemo tamen doctrinam ejus desiderabit, qui vel nuper editos in Esaiam commentarios evolvet, e quibus viri pietas, candor, humanitas ubique elucent, ut optandum sit, ea quoque, quæ in Psalmos, Matthæum item, Marcum & Lucam commentatus est, e tenebris, quibus sepulta jacent, in lucem aliquando produci. Nihil de GEORGIO WEINRICHIO, quem *Svadam Lipsiensem* vulgo vocant, nihil de POLYCARPO LYSERO dicam, qui Jesuitis nostros secessionis ab Augustana Confessione insimulantibus strenue acriterque cum summo Saxoniæ Theologo Matthia Hoe ab Hohenegg restitit. Magnus uterque, sed utroque major HENRICUS HOEPFNERUS erat, qui si nihil post se reliquisset, præter aureos illos *de justificatione* & *S. Cœna* commentarios, ut reliquit plurima, immortalem certe nominis sui famam apud omnes fuisset consecutus. Nec minor Hœpfnero discipulus Jo. HÜLSEMANNUS erat, qui, si quis alius, vera atque genuina divinæ sapientiæ principia tanta prudentia atque facilitate exposuit, ut idem de eo, quod Quintilianus alicubi de Tullio, affirmare queamus: *ille se profecisse sciat, cui* HÜLSEMANNUS *valde placebit.* Quanta is dexteritate versatus est in conventu Lipsiensi, cum de Apologia Pupillæ Ordinum Evangelicorum adversus Pontificios adornanda consilia inirentur? Quanta prudentia moderatus est collo-

B quium

quium Thorunense, cujus etiam historiam reliquit luculentissimam? HÜLSEMANNO discipulum & successorem adjungo HIERONYMUM KROMAYERUM, quo viro nemo fuit in rebus divinis apertior, ordinatior, distinctior. Nemo Theologiam universam hoc ordine complexus, tam eleganter, tam concinne omnia disposuit atque explicavit; nemo melius reconditos Apocalypseos sensus eruit, evolvit, exhausit; nemo illos, qui dulci pacis nomine fallentes quasvis male feriatorum hominum de religione sententias inter se commiscent & quasi conturbant, fortius repressit, oppugnavit, confecit. Sed quid de MARTINO GEIERO dicam? in quo viro utrum prudentia incomparabilis, an modestia, vel doctrina ipsa magis celebranda sit, haud satis habeo compertum. Etenim quemadmodum in aliis doctrina, in aliis facundia, aut linguarum cognitio, præcipue commendatur, nec omnes, quod ajunt, omnia possunt, ita quamvis GEIERO nostro nihil eorum benignior natura negasset, quæ Theologum reddunt usquequaque consummatum, hoc tamen creditum est in eo singulare prorsusque eximium, quod rebus singulis, quæ ad explicandas sacras Literas requiruntur, ita fuerit instructus, ut plane ad ἐξήγησιν natus factusque esse videretur. Et si Silesiis obstricta est Philuræa nostra, quod primus ex ea natione Rector, JOANNES OTTO MUNSTERBERGIUS, facultates suas plerasque

omnes

omnes Collegiatis, quos vocant, Collegii B. Virginis & adolescentibus studiosis legavit, habebunt vicissim Silesii, quod GEIERO nostro, qui Lipsiæ natus fuit atque educatus, acceptum referant, cujus quippe consiliis effectum est, ut Serenissimus Elector JOANNES GEORGIUS II pientissimum Cæsarem LEOPOLDUM missis legationibus expugnaret, quo sancta religio, quæ mortuo ultimo Piastorum Principe in Ducatu Lignicensi, Brigensi & Wohlaviensi tantum non sepelienda erat, per complures annos sarta tectaque conservaretur. Quanta enim fuerit hujus viri apud optimum Principem auctoritas, & publice constat, & ego e mutuis utriusque Epistolis, quæ hodie in doctissimi Nepotis, Collegæ mei longe suavissimi, manibus sunt, non sine maxima animi delectatione cognovi. Sed ad reliquos propero, in quibus CHRISTIANUS & SAMUEL LANGIUS, Pater & Filius, occurrunt, qui tametsi scriptis in lucem editis famam nullam quæsiverint, inter principes tamen sui temporis Theologos doctissimosque & disertissimos Viros jure meritoque numerati sunt. Nec GEORGIUM MOEBIUM omiserim, qui si non aliis, quæ reliquit, scriptis excellentissimis, certe edito de Oraculorum Ethnicorum origine contra Antonium van Dale opere erudito oppido atque eleganti, nomen apud exteros quoque laudemque non exiguam consecutus est, & præterea patriæ suæ, hoc est, Martis-

burgenſium res geſtas notatu digniores diligenter conſignavit, quæ cum plurima contineant, in quibus Brotuffius feliciter emendatur, in Capituli Martisburgenſis Archivo curatisſime hodie cuſtodiuntur. Sed inprimis transmittere nequeo Triumviros in divinis non minus quam humanis artibus clarisſimos, RAPPOLTUM, SCHERZERUM & ALBERTI, quorum præceptis atque inſtitutione plerique profecerunt, qui vel Theologiam vel Philoſophiam magno plauſu juvenumque ſtudioſorum concurſu hoc tempore apud nos profitentur. FRIDERICUM RAPPOLTUM primo nominabam, qui ut in Poeſi ita excelluit, ut nemo eſſet Poetarum veterum, quem non exprimeret felicisſime, nemo recentiorum, quem non longisſime ſuperaret, ita Philologus quoque erat incomparabilis, & procul omni dubio in divinis quoque eximium quiddam præſtiturus erat, (quanquam præſtitit haud vulgaria,) ſi eum citius ex inferiori ad ſuperiorem cathedram evocari contigiſſet. Subtilisſimus Philoſophus JOANNES ADAMUS SCHERZERUS erat, ſed & Theologus perſpicacisſimus, qui tanta virtute acerrimos Eccleſiæ hoſtes, Keddium, Holterum, Schillerum, Dorffelium, Schefflerum, Bellarminum, tum Calvinianos inprimis & Socinianos oppugnavit, ut malleus hæreticorum jure optimo dicendus eſſet. De Alberto II Imperatore memorant, quod nunquam hilarior alacriorque fuerit viſus, quam cum pugnam cum hoſte

hoste ingrederetur, & SCHERZERUS quoque noster, quoties conscendit cathedram, totus gaudio exultare visus, &, cum ad certamen veniretur, tanta celeritate adversarium undique adortus est, ut eum uno plerumque ictu prostraverit atque pessum dederit. Denique quid de VALENTINO ALBERTI dicam, Philosopho, Oratore, Poeta, Theologo quoque excellentissimo. Hunc virum, cui me ipsum quoque plurima debere profiteor, prolixissimis ad cœlum laudibus extollerem, nisi me vestra, Auditores, præsentia brevitatis admoneret. Et in omnium quidem manibus versatur, ut cetera non attingam, elegantissimus ejus libellus *de eo, quod Religionum inter est*, e quo summi Viri ingenium, doctrinam, prudentiam facile unusquisque velut ex ungue leonem cognoverit. Restant JO. BENEDICTUS CARPZOVIUS, GEORGIUS LEHMANNUS & GOTTLOB FRIDERICUS SELIGMANNUS, quorum ille animo virili ac forti, hi æquanimitate & modestia omnes sui temporis Theologos superabant. Ille in oratione potens, acutus, sonorus erat, hi lenes & prono fluentes alveo, ille multis, hi paucis libris in lucem editis illustres; omnes vero de Ecclesia Dei immortaliter meriti. Sed hactenus plura ferme de Theologis dixi, quam temporis hujus patitur angustia, quare de ICtis, Medicis & reliquis strictius edisserendum mihi video. Non morabor quidem ex amplissimo ICtorum ordine illos, qui sub ipsis Academiæ ini-

tiis floruerunt, in quibus primo utique loco nominandus foret JACOBUS RADEVITIUS, de quo, cum in Italia supremos in utroque Jure honores cum *Panormitano*, celeberrimo viro, capesseret, non vane in publica Panegyri dixit, quisquis dixit, *duo tum lumina accensa Italis æque ac Germanis fuisse.* Nam ut *Panormitanus* magnum inter Italos nomen consecutus est, ita inter Germanos quoque RADEVITIUS parem suo tempore habuit neminem, tantamque de se opinionem concitavit, ut ipse FRIDERICUS BELLICOSUS ejus potissimum ingenio atque consiliis Electoralem dignitatem a Sigismundo Imperatore se consecutum fateretur. Taceo pariter THEODORUM A BURCKSDÖRFF, qui deinde Antistes Numburgensis, & ARNOLDUM WESTPHALUM, qui post maximas in Septentrione lites sua auctoritate compositas, Episcopus Lubecensis constitutus est. Celebratur vero inter ICtos clarissima imprimis stirps PISTORIORUM, e quibus SIMON, cum a præceptore suo Jasone Mayno frequentius audivisset verba illa.: *calamus est, qui facit ICtum*, ad scribendum potissimum animum applicuit, moxque ob prudentiam, probitatem, doctrinam insignem, ingenium autem tantum, quantum id convenit existimari, quod summorum ICtorum ingeniis expetitum fuit, GEORGIO Duci commendatus, Professoris primum munus in hac Academia, postea & Cancellarii in aula Principis supremam dignitatem omnium consensu & suffragiis accepit. Quem virum

virum rebus humanis, aulæ non minus, quam Academiæ luctu ereptum, dubium fuit, utrum, quæ reliquit, Consilia & Responsa, an filii, HARTMANNUS & MODESTINUS, quorum alterum in scientia Juris parem, alterum tantum non superiorem habuit, reddiderint magis immortalem. Clarum quoque sub auspicium superioris seculi LEOPOLDI HACKELMANNI nomen fuit, cujus Quæstiones Juris Civilis, Pontificii, Feudalis & Saxonici prostant satis luculentæ & elegantes. Nec minus clarus successor ejus erat SIGISMUNDUS FINKELTHUSIUS, qui cum ad Jura haud perfunctoriam literarum Græcarum scientiam attulisset (primus enim in hac Academia theses περὶ ἀθανασίας ψυχῆς Græce conscriptas publico examini exponere ausus est) in utriusque Juris studio felicissime progressus, præter Observationes practicas & Controversias Feudales, elucubratissimum de Jure Patronatus tractatum reliquit. Major tamen his ut nominis celebritate, ita doctrina atque eruditione BENEDICTUS CARPZOVIUS erat, qui sive divina sive humana jura tractaret, incredibilem sui admirationem apud omnes concitavit. Saxonum certe jura tanta gravitate explicavit, ut nulla sint in universa Saxonia nostra dicasteria, nulla ICtorum collegia, in quibus ad Carpzovium tanquam ad oraculum quoddam & tribunal continuo non recurratur. Sed nec BENEDI-

ctus hic postremus ex inclyta Carpzoviorum gente ICtorum Lipsiensium ordinem nobilitavit: quandoquidem vidit & Academia & mirata est Augusti Benedicti in dicendis sententiis dexteritatem atque prudentiam. Nec nullum plane Amadei Eckolti nomen fuit, cujus compendiariam Pandectarum Tractationem dignam imprimis putavit summus apud nos ICtus, Bartholomæus Leonhardus Suendendörferus, quam luculento commentario illustraret. Et de utroque quidem Suendendörfero, Patre & Filio, cum multa dici possint, tum illud præcipue memorandum, quod in consiliis promti, in decretis ferendis graves & circumspecti fuerint, longoque rerum usu edocti, nihil in omni jure perplexum, nihil inexpeditum intricatumqve reliquerint. De Jacobo Bornio, quanto Viro! dicere non audeo, cum præclara ejus facta, quibus nominis immortalitatem consecutus est, laudibus meis longe sint superiora. Et facile eum multis laudum præconiis extollere supersedeo, quem non Academia modo, Senatus, Civitas, sed ipsa etiam Aula, quid? universa Saxonia gravissime luxit. Sed vel centum præterea enumerare possem Viros Juris scientissimos, qui quamvis ordini Professorio adscripti non fuere, Philuræam nostram partim consiliis, partim editis in lucem doctissimis Commentariis

magno-

magnopere illustrarunt. Duos e multis nomino, JOANNEM PHILIPPI, aureo *de Subhastationibus* tractatu pluribusque scriptis aliis, quæ ad usum imprimis fori eleganter accommodavit, clarissimum, & FRIDERICUM BRUMMERUM, qui literas elegantiores cum Juris scientia felicissimo connubio conjunxit, quod neminem latere potest, cui ea, quæ *de Scabinis* & *ad Legem Cinciam* ingeniosissime commentatus est, familiarius innotuere. Et hunc quidem BRUMMERUM, cum in Gallia iter faceret, ignobili flumine suffocatum, rebusque mortalibus in ipso ætatis flore subito ereptum, ecquis paulo literis faventior non doleat vehementer atque ingemiscat? Nec defuere porro Lipsiæ Æsculapii. Quoniam vero postremis hisce annis immutata & propemodum conversa fuit medendi ratio, tot secretioribus naturæ meatibus per microscopia, quæ veteribus minus innotuere, feliciter detectis, novisque factis experimentis, quibus hæc ars magno cum fructu hodie excolitur, non parum certe obscurata nunc videtur eorum, quos superior ætas tulit, memoria. Quare de GLODENSTEDIIS & MELLERSTADIIS multis edisserere, supervacaneum fuerit. Magnus erat superiori seculo JOHANNES MICHAEL, nec habuit forte Lipsia in illa ætate, qui Chymica remedia vel inveniret felicius, vel ægris majori fructu propinaret. Nec ignobile PAULI AMMANNI nomen fuit,

qui, desertis oportune veterum Botanicorum castris, ad Morisonii aliorumque exemplum plantarum cognitionem ex earum fructificatione ipsaque natura pulcre atque eleganter derivavit. Excellentissimum fuit JOANNIS FRIDERICI ORTLOBII ingenium, quod vel ex sola partium & œconomiæ hominis, quam dedit, Historia abunde cognoscitur. Quid porro ANDREAM PETERMANNUM memorem? cujus in cadaverum sectione dexteritatem singularem, in ratiociniis formandis subtilitatem, miramque ad conficiendum adversarium ingenii celeritatem sæpius mirati sumus. Quid CHRISTIANUM JOHANNEM LANGIUM? quem etsi publice Lipsiæ profiteri fata haud paterentur, nemo tamen præter illum universam medendi artem ordinatius distinctiusque tradidit, ut multum utique magnifico & venerando Capiti nostro, AUGUSTO QUIRINO RIVINO, Medicorum filii vel eo imprimis nomine debeant, quod Opera ejus æternitate dignissima in publicam lucem protraxit. Quid de JO. CHRISTIANO SCHAMBERGERO dicam? qui, si ante diem his terris subductus, minus scriptis, vita certe reliqua, atque adeo ipsa etiam morte illustris fuit. Summa Viri in investigandis naturæ abditis industria, nunquam defessum studium fuit: quæ ex reconditis maxime hujus terræ nostræ secessibus ut educeret, & ex provinciis toto orbe a nobis remotis arcesseret, non labori non sumtibus pepercit. Privatam fere supera-

bant

bant fortunam naturæ opes, quas in thesauris suis mira arte ac ordine jucundissimo digesserat, terræ, mineralia, lapides, metalla, conchæ, animalia rariora, partes animalium, atque hominis imprimis internæ, nova seculi nostri arte conservatæ. Quid instrumentorum, ad rerum naturalium studium ipsamque Medicam & Chymicam artem spectantium, justissimum dicam apparatum? Quid Bibliothecam instructissimam? Nihil omnino SCHAMBERGERO dixeris defuisse, nisi vita defecisset & otium, ad immortalia nomini suo monimenta condenda. At vel ita tamen etiam illius nomen ac memoria florebunt; donec afflictis Professorum viduis annuæ e publico ærario pecuniæ porrigentur, quam rem ille solus tentavit, promovit, perfecit; donec & stabit splendidissimum Theatrum Anatomicum, quod eo potissimum autore magnifice exstructum, imaginibus & subselliis exornatum, sceletisq; & rebus curiosis aliis auctum fuit, denique dum Academia nostra lugebit in ipso Rectoratus gravissimo munere exstinctos. Sed primus hoc loco nominandus mihi erat MICHAEL ETTMÜLLERUS, immortale Academiæ hujus & æternum decus. Enimvero Vir optimus non nisi provectiore ætate libros diligenter expolitos edere atque interim ea comparare decreverat, quæ experientia diuturnior pluriumque Auctorum lectio subministrarent; quod etsi ipse præstare haud potuit, morte quippe præventus, quam

Chymicis experimentis minus ſuccedentibus maturatam nonnulli credidere, dici tamen non poteſt, quanta aviditate a juſtis rerum harum æſtimatoribus excepta fuerint, cruda licet & extemporanea, ejus Opera, quæ paulo poſt Viri obitum diſcipuli ejus in Belgio variisque Germaniæ oppidis evulgarunt, a Filio demum æmulo majori cura ex ipſis Autoris ſchedis recuſa. Hæc & admirantur Itali, & Angli in epitomen redegere, Galli vero, qui alto ſupercilio deſpicere ſolent, quicquid Germani pariunt eximium, ultro huic Viro ſupremum in Medicina Principatum tribuunt, cunctaque ad ejus præcepta, velut ad Lydium lapidem, referunt. Extollant Theologi ſuos HOEPFNEROS, GEIEROS, SELIGMANNOS, JCti ſuos CARPZOVIOS, SUENDENDÖRFEROS, BORNIOS, unus inter Medicos noſtros ETTMÜLLERUS tantum huic ordini nomen ac decus apud omnes comparavit, ut is demum artem medendi ejusque vera atque genuina præcepta recte edoctus exiſtimetur, qui ea ab ETTMÜLLERO vel diſcipulis ejus addidiciſſet. Ad eos venio, quos Philoſophos vulgo vocant, qui tum in iis ſtudiis, quæ ab humanitate nomen acceperunt, tum in Eloquentia, ac genuina concludendi ratione, Moralique aut Phyſica diſciplina, artibus item Mathematicis, Hiſtoria denique & Poeſi excelluerunt. Neque vero licet e prima ætate CONRADUM CELTEM, HERMANNUM BUSCHIUM, JOHANNEM RHAGIUM ÆSTICAMPIANUM, VI-

TUM WERLERUM, GREGORIUM HELTUM, JOANNEM MUSLERUM, GEORGIUM SODUM, LEONHARDUM BADEHORNUM, JOANNEM STURNUM, RICHARDUM CROCUM, inde e Britannia in Athenas nostras delatum, (de quo viro hoc unum memorare satis fuerit, quod magni Joachimi Camerarii præceptor exstitit) reliquosque de humanioribus literis egregie meritos, arcessere, de quibus alia occasione * pluribus egimus. Neç nullo tamen cum elogio prætermittendus PETRUS MOSELLANUS, qui sive Græcos, sive Romanos scriptores attigit, omne tulit punctum, barbariemque nostris oris penitus expulit, ut, cum nemo antehac Græca, paucissimi Latina satis curarent, in MOSELLANI scholis ter centum quotidie Auditores numerarentur, qui harum literarum amorem ad alios deinde latissime propagarunt. Huic iterum hic comitem adjungo CASPARUM BOERNERUM, de quo testatur Georgius Fabricius, Vir elegantissimus, quod is solus fere Academiæ onus & spem literarum Lipsiæ suo tempore sustinuerit. Nemo certe a condita Academia inventus est, cui vel major esset ad promovenda publica ejus commoda animus, vel successus felicior. Is enim Academiæ Templum, Theatrum, Bibliothecam, Dicasterium, hortos, sylvam, stipendia, Theologis Auditoria, Professoribus habitationes, Studiosis triclinium comparavit. Nam

 cum

* In Dissert. nostra *de Græcarum & Latinarum Literarum Instauratoribus in Misnia.*

exteris avidiſſime conquirerentur. Nec prætermittendi hoc loco doctiſſimi Duumviri, CASPARUS BARTHIUS & THOMAS REINESIUS, qui cum Profeſſorio Ordini neutiquam eſſent adſcripti, Lipſiam tamen noſtram magnopere illuſtrarunt. Quantum enim BARTHIO Latium, quantum Græcia REINESIO debeat, illius Adverſaria, quorum alterum Volumen tanquam pretioſiſſimum theſaurum hactenus ineditum cuſtodit generoſiſſima Einſideliana familia, & hujus Variæ Lectiones, literæ item ad Viros eruditos ſcriptæ, & Eponimologium, quod diu Eruditorum votis expetitum nunc tandem proditurum ſperamus, abunde teſtantur. Nec nullum inter Philologos nomen ANDREAS RIVINUS habuit, ampliſſimæ familiæ ſator, quippe qui in iis artibus, quas humaniores vocamus, aut non tulit ſua ætate aut non invenit parem. Atque his merito addimus JACOBUM THOMASIUM, Virum nunquam ſatis Eruditis lugendum, niſi luctum noſtrum quodammodo levaret Filiorum, quos poſt ſe reliquit, celeberrimorum par, CHRISTIANUS & GODOFREDUS, quorum dum Themidos alter, alter Hygieæ imprimis ſacra curat, uterque non minus elegantiores literas ingenti ſtudio promovet ac tuetur. Et magnus erat JACOBUS, quamvis præter ea, quæ de mundi exuſtione Pythagorica conſcripſit, reliquiſſet omnino nihil; nunc cum

Mo-

Moralem disciplinam omnem, & quicquid Philosophiæ nomine complectimur, explicaverit luculentissime, & rem literariam multis elegantissimi argumenti dissertationibus, orationibusque & præfationibus exornaverit, inter principes certe Viros, quibus, non dicam Lipsia, sed Orbis Literatus universus plurimum debet, connumerandus erit. Inter Mathematicos, ut unicum nominem, clarissimus fuit quondam GEORGIUS JOACHIMUS RHETICUS, Copernici discipulus, qui & *Ephemerides* edidit, & ***magnum Canonem*** construxit, demumque Lipsia exul Cassoviæ inter amplexus summi Mathematici, Valentini Othonis, sexagenario major decessit; id quod ideo hoc loco monendum existimavi, quoniam plures eundem, de Martis motu assequendo desperantem, a malo genio, quem consuluisse ferunt, in turbinem actum, & alliso ad parietem capite necatum, absurde finxerunt. Nec Historici nobis defuere, in quibus primo loco nominandus MATTHÆUS DRESSERUS, qui cum ex Melanchthonis schola prodiisset, non tantum Græcas & Latinas literas, verum & eloquentiam & historias multo studio explicavit, & e Salana Academia, ubi in locum magni Lipsii successerat, Lipsiam evocatus, haud exiguum lumen intulit Academiæ, dignusque ante alios fuit habitus, cui Saxonicæ historiæ pertexendæ provincia, constituto annuo stipendio, demandaretur.

Ut

Ut porro de FRIDERICHO nihil addamus, quem luculenter consignasse Academiæ nostræ fata supra memoravimus, inter præcipuos certe CHRISTIANUS FRIDERICUS FRANCKENSTEINIUS eminet, quem Virum eruditissimum, eodem cum Camerario fato usum, solum sæpe in Auditorio publico aliquandiu spatiatum nostis, Auditores, dum unus postremo aut alter lento gradu adventans aurem illi attentam patienter præberet. At eum πολιτιτικότατον & in omni historia versatissimum exstitisse, si nihil aliud, pulcherrimæ ad *Priolum* annotationes produnt, quibus utique ostendit, quantum ab illo promittere sibi historiarum cupidi potuissent, si vel digniorem suis lucubrationibus scriptorem elegisset, vel ipse ad scribendum rerum gestarum historiam animum applicuisset. Nec tacendus SETHUS CALVISIUS, quem primum in Chronologia nugari desiisse, Josephus Scaliger, Isaacus Casaubonus, quid? optimus quisque & in re chronologica versatissimus testatur. At hunc, postquam Professionis Publicæ munus, semel atque iterum ab exteris oblatum, modeste recusasset, tenui sorte contentum, apud nos omnem fere ætatem contrivisse, ecquis nescit? Poetas desideratis, Auditores? Ut CONRADUM BAVARUM, aliosque superiorum temporum Poetas excellentissimos, taceam, quis in carmine heroico sublimior FRIDERICO RAPPOLTO, quis in ele-

NEDICTUM CARPZOVIUM, Poetam, Oratorem, Polyhiſtorem, omni laude dignum, ſed omni majorem. Tanta enim illius fuit eruditio, ut, ſive veteres Scriptores Græcos Latinosve interprearetur, ſive ad Tibulli, quem plurimum amabat, ingenium elegiam componeret, ſive epiſtolam ſcriberet ad Amicos literatos, quos habebat in omni Europa præcipuos, nemo ei vel commentatione, vel carmine, vel epiſtola anteponendus eſſet. Sed, quod mirum, tanta præterea ejus fuit modeſtia, ut, quamvis ſæpiſſime ab Eruditis conſultus, multorum lucubrationes conſiliis atque opera ipſa egregie promoveret, vix unquam tamen adduci poſſet, ut nomen ſuum publice proſtare pateretur, tantum abeſt, ut de edendis ſpiſſis voluminibus multum laboraret, ſciolos illos, quibus manus & digiti pruriunt, nunquam non ſerio deteſtatus. Iſtud vero præcipuum plane habuit & quaſi proprium, quod Mercurio Muſis conciliato, primus in Saxonia commercia literaria inſtituit, unde de his, quæ exteri pararent aut agerent, accurate edoctus, ad noſtros diligenter retulit, neminemque in Aula, Academia, Republica paulo doctiorem ignorare paſſus eſt, ſi quis in Republica Literaria eximium aliquid ac laude dignum eſſet conatus. Sed dum CARPZOVII laudes memoro, diu anxius cogitavi, utrum me Parentis quoque mei OTTONIS,

quem acerba mors abhinc ferme triennio abstulit, mentionem facere consultum esset. Quamvis enim non ignorarem, complures ita existimare, quasi ille non omnino nihil ad ornandas bonas literas contulisset, metuebam tamen, neque id frustra forte, ne aliqui me arrogantiæ aut levitatis ad minimum arguerent, qui me ideo Patris mei meminisse hoc loco putabunt, quod ad me sperarem aliquid redundaturum earum laudum, quæ illi jure meritoque ab omnibus tribuuntur. At quoniam in hac solenni Panegyri ea imprimis prætermittere nequaquam decet, quæ ad famam ac gloriam Academiæ nostræ pertinent, non patiemini, ut arbitror, Auditores, ut intactum plane relinquam B. Parentem meum, qui illam, quantum in ipso fuit, haud parum provexit. Neque enim fraudandus est hac laude, quod primus is Germanorum de edendis Ephemeridibus eruditis consilia ceperit, susceptisque opportune in Belgium Angliamque itineribus, & præterea eruditissimis quibusque per Galliam, Italiam ac Germaniam Viris per literas conciliatis, exoptatissimum multorum votis Actorum Eruditorum opus non interrupto per annos viginti sex labore summaque & assidua cura in publicum emisit. Equidem ad ejus laboris societatem non illos modo, qui Lipsiæ, verum & qui in vicinis locis florerent, invitabat, quo factum

ut,

ut, cum pars operis haud contemnenda *Seckendorfio, Cellario, Tenzelio, Zschirnhausio, Knorrio* aliisque summis Viris extra Lipsiam viventibus debeatur, famæ tamen quicquid inde ac gloriæ ducitur, id ad Lipsiam unam, e qua Acta prodeunt, omnino redundet. Etsi enim nostri æmulatione tot interea Diaria, tot Bibliothecæ librorum novorum, tot Nova, tot Excerpta literaria, sive Latino, sive Etrusco, Gallico, Belgico, Anglico, Germanico sermone prodierint, quorum quædam habent suos amatores, nemo tamen inficiabitur, Lipsiensium Diarium Orbis Eruditi universi plausum hactenus præcipue meruisse, ut vel hoc nomine superius seculum Academiæ nostræ auspicatissimum sit dicendum. Hos ergo tantos, tam elegantes, tamque eruditos Viros proprio & hæreditario quodam jure Lipsia nostra sibi vindicat, ut ad eius felicitatem nihil superesse videatur, quam ut a Deo immortali, omnis bonitatis perenni fonte, enixissimis precibus contendamus, ut immortales Lipsiæ esse jubeat Theologos pios, ICtos prudentes, Medicos peritos, Viros denique in omni doctrinarum genere exercitatissimos. Servet imprimis supremum Numen Potentissimum Poloniarum Regem, FRIDERICUM AUGUSTUM, Dominum nostrum longe clementissimum, & hostibus, quos incredibili vi & stupendo ad posteros exemplo

proſtravit, conculcavit, ſuperiorem, divina porro gratia tueatur, ut quemadmodum de Auguſto Imp. relatum legimus, quod, quam ſtramineam invenerat urbem Romam lapideam reliquerit, ita Lipſiam noſtram, quam lapideam conſpicimus, auream quondam, hoc eſt, feliciſſimam efficiat. Servet idem Numen cum Serenisſima Matre atque Avia Serenisſimum Principem juventutis, patriarum virtutum, ut nominis & ditionum, ex aſſe hæredem, ſpem noſtram, & decus, & meliorum literarum grande præſidium. Servet Serenisſimos Saxoniæ Duces, Almæ Academiæ Nutritios, Dominos noſtros clementisſimos, eosque diutisſime in his terris magno Academiæ commodo ſuperſtites eſſe jubeat. Floreat Saxonia! Floreat Lipſia, Academia, Senatus, Civitas! Floreant! Vigeant!

D I X I.